

DE

ERUDITIONE ET RE LITTERARIA GRAECORUM

AETATIS BYZANTINAE

COMMENTATIO

QUAM

IN SOLEMNIBUS ANNIVERSARIIS

UNIVERSITATIS CAESARAE MOSQUENSIS

D. XXX. M. JUN. A. MDCCCXLIX,

RECITAVIT

ARSENIUS MENSTSCHIKOW,

PHILOS. DOCT. LITTER. GRAEC. PROF. EXTRAORD.



Diri omnium ordinum ornatissimi!

Munere publice dicendi in hac tanta virorum litteratissimorum frequentia mihi nunc primum delato, vix aliter melius et huic tempori convenientius uti possum, quam si e studiis meis, quae ad litteras graecas atque humanitatis doctrinam pertinent, aliquid hac solemnitate dignum vestroque iudicio commendandum proferam. Non est sane dissimulandum, quam sit difficile, in doctrina, quae per tot annos a viris doctissimis sagacissimisque culta est, rem plane novam et nondum memoratam invenire, omnibus fere ejus partibus praecipuis jam diu exploratis et perlustratis. At vero quem nostrum fugiat, campum uniuscujusque scientiae tam late patere, ut vix unquam omnes ejus regiones, prout par est, pervestigari possint; solum autem ejus fertile ita comparatum esse, ut non semel arari, sed novari et iterari queat, atque fructus, pro industria laborantis, plus minusve copiosos et varios edere nunquam recuset. Nemini igitur accidere potest, quin, in tam ampla et profunda regione cujusvis doctrinae, aliquid etsi non semper novum et plane intactum, minus tamen elaboratum et nondum satis explicatum inveniat, quod denuo iudicio subicere et, pro consilio suo, ad examen proprium vocare possit.

Quod quidem imprimis valet de litteris graecis, quae inde ab incunabulis usque ad extremam senectutem suam, amplius viginti quinque seculis, copiosissimae, operibus in unoquoque scribendi genere diversissimis exornatae fuerunt. Quamquam plurima horum operum, injuria

temporum, nobis erepta sunt, a) reliqua tamen, centesima fortasse, eorum pars, quae ad nos pervenit, tanta est tantamque exhibet copiam gravissimorum operum, ut etiam post maximos labores et continuas lucubrationes virorum, qui de litteris graecis optime meruerunt, multa adhuc horum operum summam manum desiderent, pleraque tantum primis labiis, ut dicunt, gustata sint, nonnulla vero ne inspecta quidem, in bibliothecarum tabulatis sepulta jaceant. Cujus quidem rei causa ex aliqua parte potest exindé quoque pendere, quod viri graecis litteris dediti non omnes omnibus temporibus scriptores graecos pari studio amplectantur. Quum enim optima opera Graecorum in pristina et meliora tempora hujus populi cecidissent, viri docti ad haec praecipue cognoscenda interpretandaque incumbere, iisque summum laborem impendere consuerunt; reliquos autem scriptores, quorum numerus priores illos longe superat, alio prorsus honore atque studio prosequentes, pro additamento fere habent.

Quo quidem nomine maxime graeci scriptores byzantinae aetatis damnati esse videntur, quos omnes, quamquam et tempore et ingenio inter se diversissimi sunt, saepius communi judicio comprehendere, quam peculiari ac propria ratione, singulis eorum debita, tractari audias.—Scio equidem, multos viros doctos his quoque scriptoribus haud mediocrem curam diligentiamque impendisse, atque egregia ingenii et cognitionis suae documenta in illis edendis illustrandisque exhibuisse. At si hujusmodi curas laboresque cum summo studio ingenii ac acumine comparaverimus, quo philologi et litteris humanitatis vacantes versari solent in legendis, cognoscendis omnique ratione perscrutandis graecis auctoribus, qui per eminentiam classici vocantur, concedendum certe nobis erit, priora illa mirum quantum discrepare a posterioribus non solum numero et diligentiae sollertiaeque gradu, verum etiam ipsa tractandi ratione. Nam byzantinorum auctorum scripta eo plerumque consilio recognosci atque edi solent, ut tantum, ab oblivione vindicata, in lucem protrahantur, quum illa antiquiorum Graecorum opera, praeter textum centies castigatum et editum, maxima omnis generis commentariorum, observationum ac disquisitionum mole, argutiarum adeo et minutiarum nonnunquam nauseam moventium, collectione obruantur.

a) Conf. Fr. Aug. Wolf: *Encyclopädie der Philologie*, herausgeg. von Stockmann. p. 10 sqq.

Haec autem vos, AA., non ita velim a me dicta accipiatis, quasi studia virorum de graecis litteris optime meritorum, reprehenderem, majora ipse promittens, aut quasi cum illis antiquis Graecorum auctoribus byzantinos scriptores aequarem, qui et ipsi eorum discipuli erant; sed ego de his dicere incipiens monere volebam, hanc litterarum graecarum partem adhuc minus tractatam et vix pro dignitate habitam esse, quum tamen eadem nobis quidem, ob multas rationes et patriae nostrae conditiones, maximi momenti esse debeat.

Quae quum ita sint, jure mihi illae litterae graecae aetatis byzantinae dignae visae sunt, de quibus hodie, vobis praesentibus, agam meaque et aliorum cogitata de ea re vestro judicio docto ac benigno subjiciam. Atque hoc meum consilium vix alia ratione melius consequi possum, quam si primum de causis ac subsidiis eruditionis et litterarum graecarum byzantinae aetatis agam, deinde indolem earum summatim exhibeam, denique rationes percenseam, ob quas eae nobis praecipuae curae esse debeant.

Byzantinorum scriptorum nomine comprehenduntur vulgo omnes auctores graeci, quotquot inde a temporibus Constantini Magni usque ad excidium imperii graeci, per Turcos factum, exstiterunt. Nomen suum scriptores illi ducunt, ut apparet, a Byzantio, quam urbem magnus ille imperator, Constantinopolin a se appellatam, sedem suam caputque totius imperii esse volebat. — Jam temporis spatium, quo isti auctores florebant, tam amplum est, ut jure contendere possimus, hanc litterarum graecarum periodum minime esse spernendam. Ad quam quidem sententiam etiam magis adducimur, quum regionum, quae variis temporibus varios scriptores protulerunt, ambitum latissimum consideremus. Nam byzantinis scriptoribus non modo ii adnumerari solent, qui in ipsa urbe Byzantio aut in reliquis hujus amplissimi imperii regionibus habitabant, sed ii quoque, qui in aliis regionibus eodem tempore graece scribebant eundemque sermonis graeci usum, et modum sequebantur.—Postquam enim Constantinopolis, variis muneribus imperatorum artibusque exornata et amplificata, perfugium ac sedes litterarum facta est, maximam illa vim in eruditionem ac litteras graecas, ubicunque illae eadem aetate colebantur, exercere debuit.

Multae quaerentibus nobis causae sese offerent, qui tandem factum sit, ut, quum tenebrae ac barbaries pristinum lumen orbis terrarum totumque

occidentem latinum premerent, graecae litterae in oriente non solum conservarentur, sed lucem suam etiam in remotissimas terras spargerent.—Atque prima hujusce rei causa, ut equidem arbitrō, quaerenda est in ipsa hujus gentis indole et nativa quadam ingenii vena, in omnibus operibus ejus conspicua; id quod tam veteres, quam recentiores saepissime de ea praedicarunt. Ut vero ceterorum hac de re judicium missum faciamus, vel unius Horatii verba afferre sufficiet, qui, Romanorum languorem et avaritiam castigans, de ingenio atque facundia Graecorum, eodem loco, sic dicit:

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo

Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.

Nam ut singuli homines, ita singulae gentes ac nationes non eadem indole interna praeditae, sed aliae aliis animi facultatibus adornatae esse videntur. Hoc autem utut se habet, nemo tamen negabit, naturam Graecis, prae omnibus gentibus antiquis, ingenii facundiaeque dona larga manu impertiisse. Hinc quaecunque apud veteres ingeniosius excogitata et perfecta inveniantur, ea omnia potissimum ad Graecos referuntur, vetusque illa Graecia pro inventrice ac magistra artium litterarumque summo jure habetur. Confitendum certe est, byzantinae aetatis Graecos, de quibus nunc agimus, multum ab ingenio, arte et consuetudine majorum suorum discessisse. At enim servat odorem testa diu, quo semel recens imbuta est. Quid? quod hic status populi senescentis omnium maxime unicuique persuadere potest, Graecos, ipsa natura quasi duce, litterarum et artium jucunditatem, utilitatem dignitatemque non solum principes sensisse et perspexisse, verum etiam diutissime conservasse. Ut enim antea Graeci omnium artium ac doctrinarum inventores et cultores semper habiti sunt, ita hac quoque aetate, quum, barbaris ingruentibus, undique tenebrae orbem terrarum obducere et nox omnes populos paulatim contegere coepisset, iidem Graeci soli, in hac undique circumfusa ignorantiae caligine, eruditionis ac litterarum taedam retinuerunt eamque aliis etiam praetulerunt; imo vero scintillas hujus ignis, sub cineribus et ruinis regni sui excisi non extinctas servaverunt, e quibus demum litterae, quum novae iis faces admotae essent, novo cum splendore iterum exarserunt.

Ad hanc praeterea conditionem et diuturnitatem artium ac litterarum apud Byzantinos etiam praeclara illa opera, a majoribus eorum composita litterisque expressa, quibus ipsi a pueritia imbuebantur, quam

plurimum conferre debebant. Nam si litterae graecae et exemplaria graeca, quae jam Horatius cives suos nocturna versare manu, versare diurna jubet, ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem, in tanta doctrinarum copia, a populis eruditis pro fundamento ac basi institutionis doctrinaeque merito haberi soleant, quanto studio atque successu haec eadem a posteris illorum celebratissimorum auctorum doceri et disci debere judicemus, qui et ipsi laudem atque virtutem eorum aemulari studebant? Si nostra quoque aetate, a flore veteris Graeciae remotissima, in litteris graecis qui recte instituti sunt, tantam sententiarum gravitatem, orationis venustatem, verborum ornatum deprehendunt; si tot egregiis ingenii ac virtutis exemplis perfruuntur; si denique tot sapientiae praeceptis tantae eruditionis et humanitatis laude adornantur, ut studium harum litterarum non tam antiquitatis, quam humanitatis nomen mereatur, quantos tandem fructus illi Graeci, qui proavis suis et tempore et cognatione et lingua proximi erant, ex iisdem studiis percepisse censendi sunt? Quanta vero cum diligentia et industria Byzantini veteris Graeciae scriptores coluerint, tum operosiores eorum labores in antiquioribus litteris ac monumentis majorum cognoscendis, explicandis divulgandisque luculentissime monstrant, tum etiam tota illa moles commentariorum, scholiorum, glossariorum, excerptorum et varii generis collectaneorum litterariorum, quae philosophis, sophistis, grammaticis, lexicographis et compilatoribus hujus periodi debentur. Verum operam suam non in his solis studiis philologicis et, ut ita dicam, secundariis, omnes insumpserunt, sed fuerunt etiam complures, qui alias quoque artes ac disciplinas, prout res et tempora unicuique suadebant, colerent et proprias opellas relinquerent. Ad has autem conficiendas, praeter alios fontes atque stimulos, in iisdem antiquioribus monumentis graecis et fundamenta et incitamenta et optima exempla rei uniuscujusque tum melius cognoscendae, tum verbis etiam aptioribus exprimendae invenerunt. Tantum igitur adjumenti atque praesidii erat aetati byzantinae in operibus ac monumentis majorum ad animi ingeniique vires alendas et excolendas, atque ad litteras et artes quam diutissime fovendas et conservandas.

Cur autem cultura litterarum graecarum hac aetate tam late patuerit et omnes fere regiones, ne barbarorum quidem regnis quibusdam exceptis, pervaserit, hoc facile perspiciet, quicumque cogitaverit de multitudine

gentium, de numero urbium ac coloniarum stirpis graecae, de progressibus eruditionis atque linguae graecae per totum orbem terrarum sparsae, quae omnia huic periodo praecesserunt. Quis, quaeso, antiquarum rerum tam rudis sit, quin cognitum habeat, veterem Graeciam, incolarum numero semper frequentissimam, olim in diversissimas regiones colonias misisse, urbesque permultas et copiosissimas, in quibus etiam Byzantium erat, a) praesertim in ora maritima atque locis maxime opportunis condidisse; singulas earum porro, florentissimas factas, novarum urbium et coloniarum complurium creatrices exstitisse, ita ut Miletus, urbs Ioniae primaria, vel una amplius octoginta urbium per cuncta maria genetrix b) appellaretur; atque ita factum esse, ut omnium harum urbium, quae Europae, Asiae et Africae, a columnis Herculis usque ad Caucasum cingebant, Graecia mater haberetur. Hinc non est, quod miremur, eruditionem graecam jam antiquitus tam late disseminatam fuisse tamque profundos ubique radices egisse. Nam coloniae a Graecis conditae, ubi consederunt, commercium mutuum cum indigenis et confinibus ineuntes, propter culturae atque linguae suae praestantiam, in barbaros quoque maximam vim exercebant. Graeci enim, dum florentissimo statu utebantur, omnes ceteras gentes moribus, institutis, litteris et artibus, atque omnino cultu victuque tantum superabant, ut nulla earum, si Romanos exceperis, cum iis comparari, ne dum aequari posset. — Verum haec cultura et eruditio Graecorum, erepta ipsis libertate, in dies majorem ambitum atque extensionem in exteris nationibus et terris per ipsos reges et populos victores nacta est, quum gladius eorum eidem culturae ac praestantiae Graecorum viam ubique latiore[m] facilioremque muniret. Nam litteris et humanitate Graecorum factum est, ut populi ac reges, qui Graecos subactos tenebant, cultum atque eruditionem eorum, volentes nolentes, amplificarent. Et primum quidem magnus ille inter Macedones victor, graeca stirpe et ipse ingeniosissimus atque omnibus artibus instructissimus, in armis ulterius proferendis victoriisque con-

a) Byzantium antea Lygos dicebatur. Conditores ejus fuerunt Athenienses, Megarenses, Milesii et Spartani, qui sine dubio diversis temporibus colonos eo miserunt. Vid. J. Wil. Müller. Geogr. antig. lexic. manuale.

b) Plin. Hist. natur. lib. V. c. 31.

sequendis nihil antiquius habuisse videbatur, quam ut litteras et artes, ingenium et cultum Graecorum juvaret, graecas urbes ac civitates conderet et muniret. Omissis vero ceteris oppidis et locis munitis, quae variis in regionibus ab ipso condita sunt, sufficit vel unius Alexandriae meminisse, ad famam conditoris hoc quidem nomine celebrandam. Namque vix a vero aberrabit, quicumque huic urbi, quae deinceps sedes artium ac disciplinarum facta est, litterarum quidem ratione habita, secundum post doctas Athenas locum designaverit. Ut autem nihil amplius dicam de hujus magni regis successoribus, inter quos eruditissima et liberalissima Ptolemaeorum stirps maxime inclaruit, ut taceam de aliis rerum graecarum moderatoribus, Romani ipsi, victores Graeciae facti, vel inviti ad artium litterarumque graecarum progressum mirum quantum fecisse putandi sunt. Qui quum, Graecia devicta, majorem artium ac litterarum cognoscendarum sibi copiam fecissent, eruditione et consuetudine graeca deleniti, ardentissimo quum studio et graecas litteras addiscere et suas ad earum indolem conformare, atque omnino graeco ingenio et cultu sese adornare coeperunt. Sic Graecia capta ferum victorem cepit. Quo facto, tum litterae latinae mox progressus maximos fecerunt summantque elegantiam et perfectionem per auctores suos obtinuerunt, tum lingua graeca insignem honorem ac cultum apud Romanos consecuta est, quippe quae jam non solum propter suam praestantiam et scriptorum dignitatem, sed etiam ad sermonis latini indolem ac leges, rectius intelligendas et accuratius ad eam conformandas, addiceretur.

Imperatores porro byzantini ad litteras graecas colendas atque rem litterariam in imperio suo sustentandam et augendam multum fecerunt. A Constantino Magno usque ad Constantinum XIII Palaeologum, multi imperatores existerunt, qui studio litterarum graecarum et eruditioni faverent doctrinasque et artes juvarent. Praeter magnum imperii byzantini conditorem, qui regiam suam non minus aedificiis magnificis, quam operibus antiquae doctrinae virisque doctis florere cupiebat, imprimis hoc nomine celebrandi sunt: Iulianus, Theodosius Magnus, Iustinianus, Basilii Macedonis successores proximi, atque praecipue Imperatores ex Comnenorum et, qui his cognati erant, Ducarum familia oriundi, sicut etiam complures cultiores principes ultimae regiae stirpis Palaeologorum. Inter hos imperatores eorumque cognatos fuerunt, qui ab

negotiis ac laboribus imperii administrandi vacui, musis otium suum consecrarent, suoque studio atque exemplo in aliis quoque eundem litterarum amorem excitarent. Hoc fecit omnium primus, quem supra commemoravimus, Iulianus (Apostata), qui praeterquam quod rhetorum et sophistarum familiaritate maxima usus erat, ipse quoque easdem, atque illi, artes, pro temporis ratione, haud mediocriter tractavit compluriumque operum, quae argutiis, facetiis ac sale nigro scatentia, saepius contra christianos erant confecta, auctor exstitit. Deinde Leo VI, qui a litteratissimo Photio Patriarcha educatus, ipse quoque, propter sapientiam variam, φιλόσοφος atque ἐραστὴς σοφίας παντοδαπῆς cognominatus est. a) Hic sapientiae ac litterarum amor, quasi hereditate, etiam in filium ejus, Constantinum VII Porphyrogenetum transiit, qui patris opere (τῶν βασιλικῶν διατάξεων) finito suisque multis operibus confectis, doctrina et viris doctis favore magis, quam imperii administrandi munere clarus erat. Iam vero ex Ducarum, qui φιλολογώτατοι fuerunt, b) et Comnenorum familia sat erit ambas reginas illustres hic comineorasse, Eudociam Macrembolitissam, quae Violarium (Ἰωαννῶν) collegit, et Annam Comnenam, Nicephori Bryennii, imperatoris et historici byzantini conjugem et nobilem auctorem Alexiados, carminis in honorem patris sui, Alexii I Comneni, conscripti, qui de litteris graecis optime meritus, ipse quoque historici argumenti libellum, λογαρικὴ πλαιὰ καὶ νέα, composuit. Inter Palaeologos vero Ioannes Kantakuzenus, postquam imperatoris insignia deposuit, ad historiam sui temporis ac regni conscribendam et philosophiam otium suum contulit. Manuelis autem Palaeologus, qui et ipse opuscula nonnulla conscripsit, adeo litteris deditus fuisse dicitur, ut ne periculis quidem, regno suo imminentibus, a disputationibus et studiis rhetoricis deterreri posset. — Sed ne paulo verbosior hac in re fuisse videar, nihil jam dicturus sum de Bardae doctrinae ac litterarum amore, de utriusque Andronici studiis doctis deque aliis imperatoribus et stirpis regiae viris, doctrina et eruditione conspicuis.

Verum praeter byzantinos imperatores, alii quoque reges et principes, in suis quisque regionibus, vario tempore ac consilio, litteris

a) Vid. Zonar. p. 140.

b) Anna Comn. Alex. V. p. 145.

et artibus graecis favebant. Ut nihil dicam de principibus graecis, qui, Constantinopoli a Latinis occupata, Nicaeae, Trapezunti et in aliis Graeciae regionibus rerum potiti, lumen litterarum tantum non extinctum hoc tempore conservarunt, apud multos barbaros adeo reges litterae auctoresque graeci per fugium invenerunt. Sic jam sub Theodorico Magno, Ostrogothorum Italiaeque, fastis auspiciis, rege, Boëthius et Cassiodorus graecae philosophiae et graecis auctoribus cognoscendis interque suos populares divulgandis insignem operam dederunt. Persarum etiam rex Chosroës graecis philosophis Iustinianum, deorum cultum et philosophiam antiquam interdicentem evitantibus, refugium aperire non recusavit. Imprimis vero Arabes de operibus graecis colligendis et in patrium sermonem convertendis bene meruerunt. Hi barbari, etsi primis suis incursionibus mentem eruditioni ac litteris infestam et inimicam exhibuerant, tamen postea opibus et divitiis florentes, etiam in animi cultum et litterarum studia haud mediocrem curam ac diligentiam impenderunt. Quocirca reges eorum Damasci, in Syria, artes ac litteras graecas etiam tum colente, et Bagdadi, in Babylonia, antiquitus eruditione orientis famosa, sedem suam habentes, atque praeter medicinam, cui maxime favebant, etiam philosophiae, mathesi aliisque doctrinis indulgentes, permulta opera graeca sermone arabico, per Syros doctos, convertenda suique populi in usum adhibenda, curabant. Quod quidem praecipue ab Abbasidibus factum est, quorum septimus, Mamo (Al-Mamum), Michaele II imperante, antiquos libros et codices graecos Constantinopoli atque in Armeniae, Syriae et Aegypti regionibus coëmi eosque in arabicam et persicam linguam converti iussit. At nescio, qua imprudentia, magno certe detrimento litterarum antiquarum, factum sit, ut quum complures libri, praesertim ad philosophiam, mathesin et artem medicam pertinentes, fuissent in arabicam linguam traducti, residui omnes, decreto Mamonis, combusti essent a). — Hispania demum ab Arabibus occupata, idem antiquitatis et litterarum graecarum studium ab his facile ad alios etiam populos Europae occiduae pervenire potuit. — Verum hic in Francorum potentissimo tum regno, Carolus Magnus, proprio jam ingenio atque amore humanitatis et artium ductus, litteris antiquis magna cum alacritate subvenire studebat. Quam ob rem multos ille viros doctos

a) Leo African. De viris inter Arabes illustribus, p. 248.

favore et liberalitate sibi conciliavit, quorum consilio et laboribus in re litteraria constituenda uteretur; magnum veterum librorum numerum collegit; variis in locis regni sui scholas instituit, atque juventutem eruditione et humanitate, praesertim ex veterum litterarum studio assequenda, adornare conatus est. Attamen, ritibus et rationibus ecclesiae romanae ita suadentibus, major cura latinae linguae, quam graecae insumpta fuit, et ipse magnus ille rex latinam linguam ita didicit, ut aequae illa ac patria orare sit solitus, graecam vero melius intelligere, quam pronunciare potuit a). Ab his inde temporibus, per omnia secula media, praeter latinos, graeci quoque scriptores, imprimis Aristotelis opera, a scholasticis continuo colebantur. — Sic igitur graecae linguae et antiquitatis cultus in occidente usque ad litteras renatas locum habebat, atque eruditionis et litterarum curam in universum juvabat.

Inter subsidia, quae eruditioni ac litteris ab imperatoribus aliisque viris illustribus ferebantur, principe loco bibliothecae nominari possunt, quarum usus et copia alexandrinis jam temporibus propria erant. Ptolemaeus I, Lagi filius, Alexandriae primus duas amplissimas bibliothecas condidit, unam in palatiis regis juxta museum, in Pyrucheo, in qua, successore ejus adhuc vivo, usque ad D millia voluminum numerabantur b); alteram deinceps in Serapeo, quae mox circiter LXX millia voluminum continebat, postea vero, cum pergamena bibliotheca conjuncta, ingentem librorum numerum habuisse dicitur c). Ab his inde temporibus numerus librorum ac bibliothecarum semper magis crescebat, praesertim sub imperatoribus byzantinis, quae tempora imprimis librorum collectionibus variis insignia fuerunt. Sic Iulianus Apostata, veteri deorum cultui plus nimio indulgens et novam sobolem, christianae religioni contrariam, educare conatus, hujus rei causa porticum aedificavit, ubi quoque bibliothecam, ex CXX millibus voluminum constantem, instituit. Qui ei successerunt

a) Eginhard. vit. Carol. Mag. c. 25.

b) Enseb. Praepar. Euang. VIII. 2.

c) Ornatu hujus bibliothecae voluminibus quatuor millia balnearum per dimidium annum calefuisse dicitur. — Sed omissa hac traditione arabica, monendum est, bibliothecam istam jam antea, tumultu inter christianos et veterum deorum cultores exorto, confligrasse.

imperatores, quamquam persequebantur veterem relioginem, tamen veterum auctorum opera conservare et amplificare summopere studebant. Ita Valens, ad caesareae bibliothecae codices componendos vel pro vetustate reparandos, tres latinos et quatuor graecos homines mercede, e fisco solvenda, conduxit. Quum vero ab Iuliano fundata bibliotheca, Iustiniani tempore, seditione in urbe exorta, conflagrasset, proximi ejus successores novam bibliothecam instituerunt, quae supra XXXV millia voluminum, sub Leone Isauro, comprehendebat, quo imperante etiam combusta fuisse dicitur. Sub reliquis imperatoribus etiam major librorum ac bibliothecarum cura habebatur, et quidem, quo tempora ipsa ab illa docta antiquitate remotiora erant, quo eruditiores principes imperium oblinebant, denique quo majora eruditioni ac litteris pericula imminebant, eo majore studio libri veteres et fovebantur et asservabantur.

Praeter imperatores, alii quoque viri illustres et eruditi bibliothecas instituendas curabant, imprimis vero Patriarchae Constantinopolitani, in quorum bibliothecis, praeter patrum opera, etiam veteres auctores classici haud infrequentes legebantur. Quanta fuerit bibliotheca eruditissimi Photii, a) ex ejus myriobiblo facile judicari potest. — Maxima certe librorum jactura facta est, tum seditionum civilium tempore, ut in contentionibus christianorum cum Graeciae antiquae deorum cultoribus, in longis acerbisque controversiis iconomachiae, quando permultae librorum collectiones, praesertim in monasteriis perierunt, in crebris tumultibus, quos imperii usurpatores saepius excitabant, tum etiam in bellis cum hostibus, Arabis, Latinis et Francis, denique cum barbaris Turcis, quando Graecorum viri docti, fata patriae suae fugientes, multos eosque pretiosissimos veterum operum thesauros secum in occidentem, praesertim in Italiam asportarunt. Verum enimvero quantacunque tandem pericula auctores graeci antiqui eorumque opera, diversis tempestatibus, experti sunt, multa tamen librorum armaria, ut in vastissimo imperio, et eodem tempore integra, et postea diligentius comparata et accuratius conservata, usque ad ipsam Constantinopolin expugnatam manserunt. Quid? quod bibliothecarum nonnullae, locis remotioribus

a) Bibliotheca Patriarchae Photii ex XII millibus librorum varii argumenti conflata fuisse dicitur.

olim institutae, ut in monte Atho, in insula Lesbo, Patmo et cet., aliqua ex parte etiam nunc superstites sunt.

Jam vèro ad litterarum et artium studium, quo imperatores et principes byzantini fere semper erant insignes, multum faciebat, quod illi viros quoque eruditos et humanitate conspicuos magni aestimabant iisque privilegia quaedam nonnunquam donabant; id quod et his ipsis litterarum cultoribus haud mediocres stimulos adjicere, et in universum ad studia doctrinasque multum conferre poterat. Quocirca multi imperatorum undique illustres rhetores, philosophos, theologos, jurisconsultos, medicos aliosque viros doctos in regiam suam urbem invitare, saepius cum illis versari, disputationibus eorum, imprimis theologicis, libenter interesse solebant; praeterea liberos etiam suos erudiendos et litteris antiquis instituendos iis tradere non dubitabant; denique summa officia palatii et ecclesiae aliosque magistratus et honores doctioribus quibusque, ultimis praecipue seculis, largiebantur. — Constantinus Magnus omnium primus, eos, qui linguae et antiquitatis patriae studia in scholis exercebant, immunitate ab omni onere publico (*ἀτέλεια*) donavit. a) Imperatores autem, qui eum secuti sunt, muneribus eorum et privilegia, sicut salaria ipsa doctoribus istis solvenda, disertius constituerunt magisque amplificaverunt. Ulimis demum seculis, nemo fere ad summa officia in imperio capessenda accedere poterat, quin litteris et multiplici doctrina fuisset adornatus. — Neque vero singuli tantum homines docti, sed etiam cunctae civitates, doctrina et humanitate florentes, majore gratia et singulari patrocinio imperatorum nonnunquam utebantur. Sic Magnus ille Constantinus, in perseguendo deorum cultu, Athenis quidem lenius agebat; b) quin imo hanc urbem, etiam tum eruditione conspicuam, difficilioribus temporibus, sustentabat, annonam ei suppeditans. c) Ita alii quoque imperatores urbibus, litteris et eruditione illustribus, maxime favebant atque adeo in easdem etiam reas aliquando non ita severi fuerunt. — Itaque quo quis principum politior ac cultior fuisse videbatur, eo facilius erat litteris aditus in aulam caesarum aedesque

a) Vid. Cod. Theodosian., 13, 3. 1. 2. 3.

b) Euseb. Hist. eccles. II. 16.

c) Julian. orat. in laud. Const. Opp. ed. Spanhem. p. 8. C.

principum, quorum auxilio et beneficiis faces eruditionis ac doctrinae in cetera quoque multitudine splendidiore accendebantur.—Quum vero hic doctrinae ac litterarum cultus, a principibus et aulicis incitatus, maximam partem in patriae eruditionis et antiquitatis thesauris acquirendis, in cognoscendis linguae legibus atque tersioris et cultioris sermonis usu comparando poneretur, tota litterarum vita, philologicis, grammaticis et antiquariis rationibus superstructa, eandem faciem plerumque referebat. — Ceterum haec doctae antiquitatis decora et attici praesertim sermonis veneres ac numerum imprimis Palaeologorum eruditissimi principes captabant, quibus regnantibus, aulici et optimates adeo recta et eleganti loquendi ratione utebantur, ut graecae litterae revixisse viderentur. a)

In his autem eruditionis ac litterarum subsidiis, quae ab imperatoribus proficiscebantur aut ex eorum auctoritate pendebant, magni momenti etiam scholarum et collegiorum litterariorum instituta publica fuerunt. Permulti litterarum ludii, inde a Constantino Magno usque ad Palaeologos, variis in regionibus et locis instituebantur. In his scholis litterariis fuerunt nonnullae majores et ampliores, quae quidem in florentissimis quibusque urbibus et prisca eruditione conspicuis institutae, etiam ad studia doctrinarum amplificanda majorem vim habuisse videbantur. Athenarum urbs, omnium doctrinarum sedes antiqua et praecipua, hujus quoque scholae litterariae majoris, ab Eunapio et Libanio nobis adumbratae, iuventrix jure habetur. Nimirum Iuliani et Theodosii temporibus fuerunt Athenis tredecim praeceptores publici, quorum singuli, doctrinarum suarum cathedras obtinentes, salariis annuis remunerabantur. Praeter hos autem praeceptores, lege constitutos, fuerunt etiam alii permulti doctores s. sophistae, qui partim litterarum studio, partim ostentationis et quaestus amore, varias quidem regiones et urbes peragrabant ibique acroases suas instituebant, plurimam tamen partem Athenis theatra sua et sedem habebant, ut scilicet majore eloquentiae suae fama et honorario uterentur. Magna fuit scholae atheniensis frequentia. Athenarum nomine clarissimo et attici civis jure comparando incitati, huc conveniebant sophistae nobiles, quorum doctrina

a) Niceph. Greg. p. 77.

et fama pervagata, praeter Athenienses et Graecos, ex omnibus fere terris ac nationibus, discipulos peregrinos, ut Arabes, Syros, Scythas et cet., compellebat; ita ut insignes quoque sophistae ex aliis regionibus Athenas venire ibique praeceptores quosdam nobiles auscultare minime dubitarent; id quod jam Libanii exemplo facile comprobatur. — Philosophicae doctrinae hic praecipue tradebantur, quibus deinde eloquentia ita erat adjecta, ut legum ac juris civilis scientiam complecteretur. Florebat haec schola philosophica usque ad Iustinianum, cujus demum jussu clausa erat. — Ceterum, ut scholae hujus atheniensis, ita omnis rei litterariae in ea regione cura praetori romano, Corinthi tum sedem habenti, demandata fuit, qui maxime ordini conservando et judiciis exercendis praeerat.

Similis schola fuit Constantinopoli ab ipso conditore hujus urbis, ad exemplar capitolinae scholae romanae, instituta atque a proximis ejus successoribus magis adornata. Habebant ibi publicas scholas decem grammatici graeci totidemque latini, tres rhetores latini et quinque graeci, unus philosophus et duo jurisconsulti a). Haec autem schola constantinopolitana majorem dignitatem et amplitudinem obtinuit inde a seculo IX, quum Bardas, eruditionis amore ductus, omnium doctrinarum studiis novum vigorem, imo ipsam sedem sapientiae alumnis novam in Magnaura, regio palatio a Constantino M. aedificato, dedisset, et quum successores ejus, eruditionis ac litterarum studio inter se certantes, continuo rei litterariae, summa vi prospicere contenderent. Praecipua cura antiquis auctoribus ediscendis et linguae legibus cognoscendis insumebatur. Quem in finem philologi docti non solum opera antiqua auditoribus suis praelegebant interpretabanturque, sed etiam codices varios conferebant, textus recensiones et emendationes instituebant atque in linguae indolem interiorem inquirere studebant. Praeter studia philologica, fovebat haec schola etiam philosophiam, quae antea cum sophistica erat conjuncta, jurisprudentiam aliasque doctrinas multas.

Jam vero in Aegypto, ubi multis seculis ante, Ptolemaeorum munificentia, museum alexandrinum, velut academia artium et scientiarum,

a) Vid Cod. Theod 14, 9. 3.

exstiterat, urbs Alexandria ab eo inde tempore continuo fuit sedes doctrinae ac litterarum, quamquam hac quidem aetate, pristinis subsidiis et stimulis destituta, non tantam, nec tantorum virorum copiam atque prius habuit. Florebant hic grammatica et philologica studia, ab antiquioribus jam grammaticis inita; praeterea philosophicae doctrinae, mathematicae atque medicae magni aestimabantur.

In orientis quoque regionibus multae erant urbes litteris et institutis litterariis insignes. In his eminebant prae ceteris: Nicomedia, Libanii scholis nonnihil temporis gavisata ac celebrata; Antiochia, antiqua et florentissima eloquentiae sedes, ubi, Libanii tempore, quatuor sophistae, sine mercede constituta, praecepta rhetorica tradebant, voluntariis tantum donariis (χρυσᾶ μῆλα) ab auditoribus suis remunerati a); praesertim autem Berytus, in qua urbe sola, praeter Constantinopolin, jurisprudentiae doctores, qui et antecessores audiebant, jura ac leges, definito tempore, numero et ipso hujus doctrinae ordine, publice profitebantur.—Permultae aliae quoque erant urbes ludis litterariis ac scholis majoribus insignes, in quibus singulis licet doctrina aliqua ceteras superaret, tamen, quum omnes doctrinae et artes interiore ac necessario inter se vinculo cohaereant, fieri non potuit, quin altera alteri opitularetur, atque cunctae simul ad eruditionem et studia humanitatis conferrent.

Denique ad animi cultum et eruditionem in universum religio christiana quam plurimum valuit, quae primum Constantinopoli, tum vero paulatim in omnibus hujus latissimi imperii regionibus, per magnum ejus conditorem, sedem constantem et principatum obtinuit. Dicitur vix potest, quantam vim in animos hominum habuerit sanctissimae doctrinae lumen, divinitus generi humano accensum et missum. Et primum quidem, hujus divini luminis beneficio aspera ac dura antea hominum ingenia, benignissime collustrata, delenita et calefacta, ad sapientiam et veram eruditionem percipiendam faciliora ac paratiora facta sunt. Quid enim magis ad animi cultum, mansuetudinem morum atque humanitatem facere potest, nisi, quod est totius christianae doctrinae ac vitae principium, amor erga Deum et

a) Liban. *περὶ ῥητόρων* 2, 207.

proximos, lenis in praecipiendo, strenuus in agendo, efficacissimus in perficiendo. Qui quidem amor simul atque hominem penetrat, vires animi ejus alens et roborans, fundamentum vitae novae sublimiorisque jact, atque virtutis omnis et humanitatis fons uberrimus existit. Ceterum cui homini christiano fecundissimi hujus amoris fructus ignoti sint, quos disertissime nobis Apostolus Paulus in prima epistola sua ad Corinthios delineavit? a)

Christiana deinde religio animi vitam interiorem excitavit et mentis viribus novam cognitionum regionem, imo etiam cogitandi rationem aliam monstravit. Ut plurima diversissimaque sint ingenii opera, quibus docta antiquitas non immerito gloriatur, et quae sane mentis acumen, sagacitatem ac praestantiam hucusque maxime produnt, attamen negari vix potest, quin pleraque omnia eorum monumenta, litteris consignata, plus minusve exteriorem, et rerum in iis expositarum naturam et ipsam tractandi rationem exhibeant, ne summorum quidem Graeciae philosophorum doctrinis artificis que exceptis; namque hi et ipsi id maxime agebant, ut rerum naturam exteriorem perscrutarentur, principium omnium summum quaerent, rationes ac leges universi mundi perspicerent, atque omnino, ut Apostoli verbis utar, sapientiam hujus mundi elementis superstructam exercerent. Christiana vero doctrina, omissis rebus externis, hominem ad naturam ipsius interiorum, ad vires animi et mentis cognoscendas easque sensu boni, veri ac pulchri alendas et adornandas convertit. Quo quidem principio interiore homines ducti, ceteras quoque res profundius indagare atque eas ex ipsarum potius interna indole, quam externa facie dijudicare coeperunt; id quod sane novam et sublimiorem cogitationum ac sensuum regionem mundo christiano aperuit. — Iam vero praestantia aeternae veritatis, excelsitas atque simplicitas doctrinae Evangelii per se quoque movebat et alliciebat animos mentesque hominum. Quicumque vero mortalium suavitatem istius doctrinae semel gustarunt, ii semper magis in illa exerceri, semper majores fructus ex ea percipere, atque ita propius ad ejus sapientiam accedere cupiunt; quae quidem sapientia, caliginem et tenebras ex eorum animis pellens, hoc ipso jam purioris cognitionis, altioris animi cultus atque verae eruditionis summum principium evadit.

a) 1 Corinth. XIII. 4 sqq.

Ceterum christiana doctrina ad ipsas quoque litteras graecas et ad opera litteraria adaugenda haud mediocriter contulit. Enimvero sacra scriptura Novi Testamenti, graeco sermone exposita, imprimis graece legebatur et explicabatur. — Graecae igitur linguae principi ac soli, inter ceteras quamplurimas, contigit tum veteris ingenii et artis humanae monumenta insignia, tum novam divinae sapientiae doctrinam, per Christum patefactam, comprehendere litterisque suis consignare. — Quum vero haec nova doctrina ad multas easque subtilissimas meditationes ac disquisitiones ansam praeberet, ea res vel ipsa ad studia graecarum litterarum atque scripta adaugenda multum faciebat. Quamquam enim verba Evangelii verissima et omni acceptione dignissima sunt, tamen plurimi hujus veritatis adversarii et obtrectatores inter homines, veteri religioni ac sapientiae deditos, exstiterunt. At hi simul strenuos Evangelii propugnatores ac defensores inter viros christianos contra se provocaverunt, quorum eruditissimi quique et litterarum antiquarum peritissimi, ut malignitatem et mendacia adversariorum impugnant, praeter veritates e christiana doctrina depromptas, eadem sapientia humana iisdemque artibus, atque eorum adversarii, sese instruebant.—Postquam vero calumniae et insidiae inimicorum religionis ac doctrinae Christi cessarunt, inter christianos ipsos dissensiones de dogmatis fidei et ritibus sacris atque dissidia diversa exorta sunt. Doctrina enim J. Christi et St. Apostolorum, donec simplici et sincero animo excipiebatur, omnibus simplex, clara ac perspicua erat. Quum vero ad hanc doctrinam studia et subtilitates mentis humanae, male curiosae, accessissent, mox suspiciones dubitationesque multiplices de praecipuis ejus capitibus excitatae, atque scrupulus non unus animis etiam fidissimis injectus est. Hinc novarum contentionum, inter diversas christianorum sectas, longa series, hinc haereses ac schismata, quae diu ecclesiam Christi perturbabant et lacerabant. Contentiones hae ac lites diuturnae permultis studiis litterariis et variis bonisque operibus conscribendis ansam prae-buerunt, atque ita ipsis quoque litteris amplificandis inservierunt. — Ex quibus certaminibus divina veritas semper augustior et firmiter evadens, verbis et scriptis in dies augebatur et propagabatur per omnem terrarum orbem, simul eruditionem, veram doctrinam et litterarum ipsarum cognitionem aestimationemque adferens. — Haec sunt partim directa, partim indirecta subsidia eruditionis, humanitatis ac littera-

rum, quae byzantina aetate Graecis eorumque litteris in religione christiana posita erant.

His igitur et similibus causis cultus animi et studia litterarum apud Byzantinos procreata ac sustentata, a Constantino Magno usque ad interitum imperii, fere continuo durabant.— Jam vero si indolem ac naturam rei litterariae hac aetate consideramus, omnium primum hoc loco monendum esse videtur, litteraria hujus periodi opera duplicis generis fuisse, altera profana, altera sacra siue ecclesiastica. Ut a priore statim ejus genere incipiamus, claudicabat certe haec litterarum graecarum pars ea aetate, quamquam non deerant passim opera, quae, si classica illa non aequabant, certe ad ea quam proxime accedebant. Quod si hic summam rem spectamus, complures scriptores hujus aetatis profanos deficiebat propria inveniendi vis atque ille ingenii vigor, quem in auctoribus classicis admiramur. Quum enim antiquiores illi Graeci, florentissimo suo statu, tanta opera confecissent tantaque ingenii et artis monumenta edidissent, ut posteris suis nihil amplius desiderare relinquerent, jam, qui proxime eos sequebantur, alexandrinae aetatis Graeci fere nihil aliud agebant, quam ut illa opera majorum suorum colligerent, recognoscerent, explicarent suumque in usum converterent. Tota igitur eorum sapientia et mentis efficacia, ut ita dicam, secundaria erat, quippe quae ex antiquioribus auctoribus penderet plurimamque partem in eorum exercitatione, doctrina atque eruditione constaret.—Hoc subinde veterum litterarum et antiquitatis studium, reliqua Graecorum aetate, faventibus saepe imperatoribus romanis, praesertim vero byzantinis, tantam demum vim et aestimationem obtinuit, ut praecipua mentis vis atque summa ingenii laus ac dignitas in veterum litterarum doctrina et eruditione quamplurima poneretur.

Quibus rebus factum est, ut quo magis haec aetas byzantina propria vi opera genuina et artificiosa conficiendi destituta erat, eo majore studio, diligentia, eruditione scientiaque varia gauderet. Cura autem praecipua erat posita in eruendis antiquitatis thesauris, in cognoscendis veterum auctorum scriptis et linguae legibus praevestigandis; atque harum rerum omnium viros peritissimos doctissimosque hoc tempore invenimus, qui praeterea in aliis etiam doctrinis et artibus quamplurimis exerci-

tatissimi fuerunt. Multos tulit haec aetas illustres rhetores, sophistas, subtiles veteris philosophiae doctores, linguae rerumque antiquarum scrutatores diligentissimos. Fuerunt nonnulli, qui omnium fere scientiarum orbem percurrisset et adeo varia doctrina scientiaque imbuti esse viderentur, ut non immerito φιλολογώταται, πολυῖστορες, πολυγραφώταται nominati essent. In his, praeter philosophos ac sophistas spectabiles, sat erit nominasse eruditissimum Photium Patriarcham, Michaëlem Psellum juniorem, ὑπατον τῶν φιλοσόφων, et ejus aemulum Ioannem Italum, Nicephorum Blemmidam, Georgium Pachymerem et cet. — Jam vero haec talium virorum studia antiquitatis atque doctrinae, quae semper summis laudibus celebrari solent, ut erant ingenio ac rationibus illius temporis prognata, ita vice versa ad eruditionis ac doctrinae variae curam et diligentiam adaugendam multum conferebant; id quod certe propriam ingenii vim creatricem hac aetate etiam magis constringebat.

Quae hucusque de indole ac natura litterarum graecarum apud Byzantinos universim diximus, vera esse, luculentissime probatur iis ipsis operibus et monumentis litterariis, quae hac aetate litteris consignata sunt. Quum enim major animi vis atque plenior ingenii vigor in poëticis et philosophicis operibus maxime spectetur, haec imprimis respicientes, facile judicare possumus, opera hujus aetatis, etiam meliora quaeque, non tam proprio ingenio atque peculiari vi et arte, quam studio veterum auctorum, doctrina et eruditione adornata esse.

Et primum quidem si poëseos regionem consideramus, multa certe carmina multosque eorum auctores inuenimus. Sed plurima horum pars ne nomine quidem poëtarum digni sunt, ut quorum versus neque argumento, neque metrica ratione, ullam verae poëseos indolem exhibeant. In reliquis vero operibus melioribus quoque desideratur altior audaciorque musarum spiritus, fecundior poëtica vis et propria fingendi facultas, quin etiam rerum ipsarum amplitudo atque gravitas, quibus omnibus antiquorum Graeciae vatum praestantissima carmina exornata sunt. Verum si quis erat hac aetate poëseos vigor, si quis in versibus conspiciebatur poëticus color, plerumque ille in brevioribus carminibus lyricis consumebatur, quorum potissima pars vulgo epigrammatum nomine vinebant. Varia erant horum epi-

grammatum s. inscriptionum genera, pro varia ad illa componenda ratione atque opportunitate oblata. Erant enim elegiaca, anathematica s. votiva, epideictica s. demonstrativa, erotica s. amatoria, ludicra et jocosa, praesertim irrisoria s. scoptica; et posterius quidem epigrammatum genus, quod seriore imprimis aevo i. e. post christianam aeram, ita frequentatum atque exornatum est, ut et olim et hodie quoque longe plurimum quum epigrammatis mentionem fieri videant, continuo aliquid, quod risum moveat, sales atque dicteria, sibi animo fingant a).—Praeter communes humanae vitae vicissitudines atque singulorum hominum fortunas ac rationes, ansam et materiam his carminibus conficiendis imprimis res quaedam graviores, ut aedificia magnifica, monumenta artis, officia varia et quae his similia, suppeditabant. Carminum ejusmodi virtus praecipua in brevitate sententiae, acumine ingenii et elegantia sermonis ponebatur. Ceterum haec carmina minuscula, quamquam saepe ingenio lepore nitent, maximam tamen partem non nisi lusum poëticum atque ornatum exteriorem exhibent longeque a dignitate, gravitate et praestantia antiquorum carminum similia, absunt.

Haud mediorem sane dignitatem utilitatemque habent, quae sic dicuntur, anthologiae, quarum origo quidem priori aetati, plenior autem et auctior conformatio his temporibus debetur. Nimirum antiquitus etiam permulta carmina diversi generis breviora, aut ad sententiam quandam inculcandam, aut ad famam et memoriam rei alicujus celebrandam, aut simpliciter ad ingenii acumen et lusum poëticum exercendum composita, atque altaribus, templis, simulacris deorum, sepulchris, tabulis, statuis, tripodibus variisque artis monumentis incisa erant. Qui quidem poëticae flores, variis locis seorsim spectati, ut simul collecti pulchrius niterent, neve singuli per se tenues, temporis injuria, marcescerent omninoque perirent, ipsi veteres eos in floridas coronas nectere coeperunt, quas anthologias s. florilegia nominabant. Quum vero antiquiora horum carminum collectanea jam seculo X desiderarentur, magnam certe gratiam anthologiarum auctoribus editoribusque byzantinis debemus, qui pulcherrima quaeque carmina ex prioribus anthologiis excerptas aliaque tam antiquiora, quam recentiora similis argumenti opuscula

a) Vid. Fr. Jacobs. Praefat. ad delect. epigram. graecor. p. 8 sqq.

lyrica his adjicientes, haud mediocrem in iis ingenii cognitionumque diversissimarum thesaurum nobis servarunt. Quid enim vitam graecam variasque ejus rationes per omnes aetates clarius pleniusque indicare possit, quam haec carmina minora, breviter quidem, sed semper ingeniose expressa; quae quum per urbes et vias, per nemora et templa, per hortos, fontes, porticus variaque artis monumenta nos conducant, mores, instituta, res gestas, victum cultumque Graecorum antiquiorum ac posteriorum haud obscure adumbrant. Quod autem maximum est, in his collectionibus anthologicis etiam multa vestigia priscae linguae et egregia fragmenta veteris poëseos lyricae, cujus maxima jactura nobis valde dolenda est, posteritatis in usum asservata sunt. — Ceterum jam ex hoc ipso studio talia carmina breviora, sententiosa ac ludicra conficiendi colligendique facile conspicitur, poësin hujus aetatis factam esse quodammodo leviolem, minutam, dispersam ac disjunctam, magisque facetam et jocosam, quam seriam et gravem.

In reliquis autem poëseos generibus etiam magis desideratur propria illa ingenii vis et ratio libera, quum in fingendis, tum in tractandis argumentis et fabulis poëticis. Quum enim poësis epica apud veteres tota rationibus mythicis niteretur, atque dramatica maximam partem ex ea penderet, facile intelligitur, utrumque hoc poëseos genus vix ullum locum ea aetate habere potuisse, qua neque cultus, neque status populi, neque vitae ejus ratio mythicis imaginibus et figmentis favebant, et qua homines a sensuum lusionibus sibi temperare atque seria cogitatione et curis gravioribus occupari consuerunt. Verum enimvero non deerant poëseos cultores, qui carminibus praesertim epicis, poëticam dignitatem et laudem acquirere studebant. Et primum quidem fuerunt, qui materiau carminibus suis in rebus praesentibus quaerent, summorum nempe virorum res gestas, aedificia magnifica aliaque opera praeclara celebrantes; tamen hi nec numero, nec pondere, si paucos exceperis, admodum magno erant. Multo major pars eorum auctorum fuit, qui priscas res mythicas et fabulosas carmine epico decantandas sibi sumerent. Quem in finem maximo usui iis fuerunt opera homerica atque carmina ad cyclum, quem vocant, epicum pertinentia, in quibus illi non solum argumenta varia, sed etiam politiorem tersioremque sermonem et numeros graviores facile inveniebant. Quas quidem illi fabulas partim retractare, partim explere et amplificare in animo habebant. Ex hoc genere carmi-

num imprimis memoratu digna sunt Quinti Smyrnaei Παραλειπόμενα Ὀμήρου, quippe qui omnium proxime accesserit ad poëtarum graecorum principem, quem sibi imitandum sumpsit. Longe alio, ut tempore, ita numero atque pretio fuerunt carmina Ioannis Tzetzae Ἰλιακά, in quibus hic, alioquin eruditus grammaticus, plenius Homero res iliacas, versibus politicis, de quibus infra monebimus, enarrare male tentavit. — Praeter homericas et cyclicas traditiones, aliae quoque fabulae et narrationes antiquae, ex. gr. Διονυσιακά Ἀργοναυτικά, Καλυδωνικά et cet., carmine epico exornabantur. Quo in genere imprimis nobile ingenium Nonni Panopolitae eminet, qui in XLVIII libris Dionysi orgia, multa arte ac diligentia descripsit. a) Minus felices erant ejus imitatores haud pauci. — Non lere momentum horum carminum vel in eo consistit, quod fabulas ac narrationes istas, quae byzantinis auctoribus fortasse ex aliis scriptis aut traditionibus notae fuerunt, neque ante, neque post ea tempora, pleniores invenimus. Haec argumenta poëtica, a cyclicis fabulis antiquorum poëtarum diversa et quodammodo renovata, nova quoque dialecto epica, quae in Aegypto ab eodem Nonno, quem modo laudavimus, originem cepit, quin etiam metro ab antiqui hexametri indole nonnihil recedente conscripta sunt. — Non tam prospere cessit iis, qui antiquae historiae res celebratissimas, ut marathonicas, persicas et cet., carmine epico decantandas sibi proposuerunt in iisque neq̄ veritatem historicam, neque ingenium poëticum praestare potuerunt. — Jam vero abusum poëseos magis et degenerem sensum leporis ac sobrietatis hac aetate exhibent, tum centones homerici (Ὀμηρόκεντρα) s. carmina e variis operis homerici particulis ita consuta ut novum inde opusculum epicum exstaret, tum, quae sic dicebatur, Ὀδύσσεια λειπογράμματος, ita scilicet comparata, ut primo libro α littera plane abesset, secundo β et sic porro. — Denique quod attinet ad dramatica opera, quae florentissimo litterarum graecarum statu coronam et summum poëseos decus efficiebant, ea quidem his temporibus tam exigua fuerunt, ut ne memoratu quidem digna sint. — Quod autem maximum ingenii poëtici defectum et corruptam ac profanatam musarum sedem luce clarius prodit, versificatores ac rhythmici hujus aetatis, praeter historicas res, etiam grammaticas, rhetoricas, juridicas, me-

a) Conf. Nonnos von Panopolis, der Dichter. Ein Beitrag zur Geschichte der griechischen Poesie. Dédie à Goethe par le C-te Ouwaroff.

dicas et cet. plerumque versibus politicis comprehendere atque enarrare coeperunt. a)

Praeter poëseos varia genera, nulla in alia regione pedestris orationis ingenium humanum majorem vim exserit animusque sublimius evolat, quam in philosophia, ceterarum artium omnium procreatrice et moderatrice. Quae quum ita sint, philosophiae fata hac aetate maxime indicare possunt, quam manca ac debilis fuerit mentis creatricis vis et propria inveniendi cogitandique ratio. Nihil novi in philosophia hujus temporis deprehendimus, praeterquam quod antiqua summorum philosophorum placita immutari, misceri, susque deque haberi coepta sunt. Fuerunt certe viri egregia sagacitate, qui aequales suos ejusdemque sapientiae ac studii participes ingenio et eruditione multo superarent, ut Themistius, Olympiodorus, Simplicius et alii. At vero meliora eorum scripta, non philosophemata ipsorum propria, sed paraphrases, scholia et commentarios in opera philosophica antiquiora continent, quibus multum laboris hac aetate insumptum est. Nam qui studiis philosophiae dediti erant, ii veterum philosophorum quendam, praesertim Platonem aut Aristotelem ducem sibi eligere solebant. Ut autem doctrinae suae novam faciem quodammodo conciliarent atque de suo aliquid adderent, varias inter se doctrinas miscebant, ut, quae in una abstrusiora esse viderentur, ex alia enuclearent. Quocirca, Neoplatonici hujus aetatis, praeceuntibus superioribus, praeterquam quod varia philosophorum placita confundebant, etiam christianam doctrinam cum illa platonica conjungere, atque alteram ex altera deducere et explicare male conabantur. Platoni adjungebant saepius Aristotelem, cujus dialectices ope sententias repugnantes et suis principiis contrarias, maximeque veritates doctrinae christianae, aut confutarent, aut cum suis ipsorum placitis conjungerent. Qui novae religioni Christi infensi ac veteri deorum cultui magis erant dediti, ut hujus sacra, philosophicis principiis augustiora ac munitiora tuerentur, figmenta mythica et antiquam mysteriorum caliginem, secundum neoplatonica sua principia dijudicare eaque in unum

a) Hujusmodi opusculum *Herzogonis* (*ἐπιτομή ῥητορικῆς*) apud Gregorium Corinthium *φλυαροστιχίδια* vocatur. V. Rhet. Gr. T. VII. p. 1098. Walz.

systema theosophicum (Procli στοιχείωσις θεολογική) conflare studebant. Quo quidem, praeter orphica arcana, Pythagoreorum symbola, oraculorum responsa, etiam Aegyptiorum et Chaldaeorum doctrina atque sapientia magica comprehendebatur. Quum igitur philosophia hanc viam ingressa esset, quae et a sanae mentis rationibus aliena, et saluberrimae doctrinae religionis christianae contraria erat, merito Iustinianus scholas philosophorum Athenis an. 529 claudi iussit. — Ab eadem Platonis et Aristotelis doctrina christiani quoque viri in philosophia his temporibus maxime pendebant multumque studii ac laboris ei explicandae et cognoscendae consecrarunt, quamquam argumentis et principiis ejusdem plane contraria ratione atque philosophi profani utebantur.

Ad rhetoricam propius, quam ad philosophiam, accedebat sophistica, quae studiis praecedentium sophistarum excitata atque saepius contra religionem christianam conversa, prioribus hujus aetatis seculis, magnam vim habebat, et per totum fere doctrinarum orbem regnabat. — Sophistarum studia ac declamationes (μελέται) sterilitatem mentis ingeniique ad majora quaeque et graviora opera conficienda inopiam evidentissime produnt. Nam omnis ars et industria sophistarum, si paucos nobiliores exceperis, erat in eo occupata, ut verborum ornatu, sententiarum delectu, concinna et artificiosa orationis conformatione, sermoni suo venerationem conciliarent, eumque faciliis, salibus ac festivitibus magis condirent, ut acumen ingenii, eruditionem, facundiam et habilitatem suam de omnibus rebus, omni tempore, declamandi disputandique ostentarent, atque ita gratiam, benevolentiam ac plausum maximae auditorum turbae captarent in eorumque animos vim suam et auctoritatem exercerent. Quocirca sophista, praeter grammaticas leges et praecepta artis rhetoricæ, magnum apparatus scientiarum, quae ad mythologiam, historiam, litterarum studium et doctrinam unamquamque pertinerent, notitias publicae rei ac familiaris, et quae his similia, possidere debebat. In philosophia vero, praesertim in arte dialectica, ita eum exercitatum esse oportebat, ut de unaquaque re (ὑπόθεσις) extemplo (αὐτοσχεδιάζειν) summa celeritate, elegantia et persuasionem loqui posset. — Haec autem omnia, quamquam non sine vigore quodam atque eruditione et arte, tamen

magnò cum detrimento veritatis, probitatis morum ac doctrinae severitatis peragebantur. Nam quo quis ejusmodi doctorum virorum lingua promptior et sua magniloquentia grandior erat, eo frequentiores auditores atque majorem gloriam habebat; quae quidem non tam eloquentia et verborum gravitate, quam discipulorum favore ac vi comparari solebat. Etenim hi in suum doctorem celebratissimum pii, ut theatrum ejus et honorarium adaugerent, saepius vias et portus obsidebant, atque studii causa adventantes cogeant, non eum praeceptorem audire, cujus gratia hi venissent, sed eum, cujus praestantiam ipsi persuasione, admonitione ac vi nonnunquam comprobare studuissent. Fiebat aliquando, ut sophistae ne intrare quidem publica theatra auderent, eamque ob causam domi suae aut aliis in locis munitioribus declamationes instituerent, ut scilicet a clamoribus ac sibilis adversariorum eorumque clientium tutiores se praestarent atque turbas eorum, si forte irruissent, per discipulos suos facilius propellerent. — Clausis demum scholis philosophicis simul cum sophisticis, cessarunt declamationes istiusmodi, et graviori ac digniori eloquentiae christianae locum dederunt.

Majorem copiam, sobrietatem ac frugalitatem deprehendimus in scriptoribus historicis, qui hac aetate frequentes fuerunt. Varii generis erant eorum opera, si argumentum, consilium, enarrationis modum, dignitatem et fidem historicam spectamus. Et quidem solent eos viri docti dividere in chronographos, historicos, byzantinarum rerum scriptores et archaeologos. Quorum priores curam praecipuam ac fere totam in eo collocabant, ut res, plerumque ab exordio mundi inchoatas, ad temporum momenta, quibus illae accidissent, reducerent et accuratius definirent; quod quidem plurimam partem iis male cessit. Horum igitur auctoritas est minima. Porro, quos historicos nominavimus, ii in universa historia populorum conscribenda erant occupati, et quidem partim illam cum byzantino imperio conjunctam, partim ab ea separatam tractantes. Prior itaque horum pars proxime accedit ad tertiam illam classem scriptorum, qui byzantinas res enarrandas sibi proposuerunt. Qui quidem byzantinae historiae scriptores, more veterum graecae historiae auctorum, alter alterum excipientes, ut ita dicam, cyclum historicum efficiebant, quo res ac fata hujus imperii a Constan-

tino Magno usque ad Constantinopolin expugnatam comprehensa sunt. Scriptores isti, fere omnes christiani atque clerici complures, et numero, et eruditione et frugalitate multo fuerunt superiores chronographis illis et archaeologis, qui ultimo loco nominati sunt. Hi demum origines et antiquitates urbium, praesertim patriae suae, indagantes, nec tam multi nec tam illustres fuere. E contrario, historicorum modo laudatorum fuerunt nonnulli, qui et acumine ingenii, et eruditione classica et scientiarum copia inclarescerent, ita ut alii cum Herodoto aut Thucydide ab aequalibus suis compararentur, alii ut polyhistores ab illis celebrarentur; quamquam haec omnia justo majora de iis praedicabantur, quum isti viri eruditissimi, etiamsi reliquos suos populares multo superassent, tamen ipsi quoque a vi et culpa sui temporis plane liberi esse nequirent. Nam in his quoque fere omnibus desideratur altior illa mentis creatricis vis et vera historiae conscribendae ratio s. idea. Quaecunq̄ enim ab illis relata sunt, materiam potius et res, ad exteriorem statum spectantes, continent atque maximam partem annalium faciem habent. — Quod autem ad fidem historicam attinet, illa quidem, pro indole uniuscujusque auctoris et rerum ipsarum natura, non eadem omnibus fuit. Atque hac ratione, praeter ingenii indolem, primum memoratu dignum est, quod complures byzantinarum rerum scriptores aut summo loco, quin etiam regia stirpe erant nati, et a teneris multa doctrina et eruditione imbuti, aut summis officiis civilibus et ecclesiasticis praepositi, proptereaque majorem copiam et facilitatem ad res graviores cognoscendas ac litteris mandandas habebant. Praeterea nonnulli eorum fuerunt testes oculati rerum, a se expositarum, reliqui vero ea solum colligebant, quae ipsi legerant aut ex aliis audiverant. Proinde illi pro fontibus, hi pro subsidiis tantum habendi sunt. Denique, ut brevissimis verbis hoc dicam, in omnibus eorum cura et diligentia, in compluribus eruditio et scientiarum copia, in nonnullis vero acumen ingenii et artis criticae indicia facile conspiciuntur.

Iam vero, ut ceteras doctrinas vel verbo tangam, jurisprudentia, quae primum Beryti imprimis florebat, deinde Constantinopoli in scholis maxime colebatur, mathesis, quae et olim cum philosophia conjuncta erat, et postea Athenis, Alexandriae et Constantinopoli, praesertim philosophis

probata erat, medicina, cujus initia magicis incantationibus et theurgicis phantasmatis erant hoc tempore infecta, historia naturalis ceteraque scientiae, ut cunctae e sinu philosophiae ortae sunt ejusque principiis nitebantur, ita omnes eodem vitio atque ipsa laborabant.

Ceterum philosophiae, ut poëseos etiam antiquae studio ac vigori christiana quoque religio magnopere officiebat. Nam neque veritas Evangelii cum fabulis et mythicis figmentis veterum poëtarum, neque simplicitas divinae doctrinae cum sapientia philosophorum ac sophistarum consociari poterat, quae, imprimis ut prioribus seculis hujus aetatis erat, verissime desipientia in Sacra Scriptura nominatur.

Verum enimvero christiana religio falsorum deorum cultum tollens, mythicas veterum rationes, fabulis comprehensas, et sapientiam a philosophis eorum celebratam, aspernans, quum, quae tota iis superstructa erat, sentiendi agendique rationem immutaret, agebat simul fundamenta novae vitae interioris altiorisque cogitandi rationis. Cujus vitae luminibus perfusi, christiani viri spiritum excelsiorem concipiebant et novos grandioresque ferebant ingenii fructus. Relictis enim fabulis ac figmentis veterum omnibus, diviniore spiritu quicumque agitati, canebant Deum Omnipotentem, mundi creatorem et gubernatorem summum, Ejus gratiam ac sapientiam, maxime in efficienda hominum salute conspicuam; atque hac ratione imprimis largam materiam inveniebant in Novo Testamento ad Vetus accommo- dando, in veritate per Christum patefacta ex imaginibus et umbris legis mosaicae, sicut etiam ex Dei promissionibus atque Prophetarum praesciis dictis explicanda; porro celebrabant illi quidem sanctissimas religionis christianae veritates et saluberrima vitae bene moratae praecepta; venerantur praeterea memoriam Virorum Sanctorum, qui fidem ac veritatem Evangelii doctrina, factis et nonnunquam sanguine fuso confessi, aliis veri Dei colendi sancteque vivendi exemplum reliquerunt; non defuerunt quoque, qui imperatorum virtutes eorumque studium ad religionem Christi propagandam et confirmandam collatum, ut etiam aedificiorum in usum ecclesiae christianae ab ipsis exstructorum miracula laudibus extollerent. a)

a) Pauli Silentiarii descriptio magnae ecclesiae et ambonis. Recens. Fr. Graefe.

Multa ejusmodi carmina poëtarum christianorum, magno ingenio conscripta, reperiuntur. Sufficit hoc loco solum meminisse illustria nomina Gregorii Nazianzeni, Synesii Cyrenaei, Pauli Silentiarum, Georgii Pisidae et cet., quorum opera etiam antiquorum judiciis satis comprobata erant. Innumera alia quoque scripta variae dignitatis de diversissimis rebus ad religionem ac vitam spectantibus, tum versibus, tum oratione pedestri, ab auctoribus christianis usui nostro relicta et conservata sunt. Quum enim ecclesia christiana hominem unumquemque, simul atque natus est, sinu suo excipiat eumque continuo foveat et per omnes vitae tempestates ac vicissitudines, imprimis gravissimas, usque ad obitum ejus integre ac sancte deducendum suscipiat, sacramentis a peccatorum sordibus purgans, divina Evangelii doctrina veram fidem, virtutis amorem atque certissimam melioris vitae futurae spem ei concilians, viri christianorum summi et praeceptores principes, ut hisce ecclesiae curis subvenirent, omnia incepta et consilia humana, omnia officia christiana ritusque sacros idoneis cantibus, orationibus ac votis piis adornare et concelebrare olim studuerunt. Hinc praeter hymnos sacros, ex iisdem temporibus magnam copiam precum, homiliarum, meditationum animi pii, praeceptorum adhortationumque habemus, quibus facile quisque et mentem nutrire et animum oblectare et saluti suae consulere potest.

Quod attinet ad indolem doctrinae patrum ac virorum christianorum, erat illa simplex et libera ab omni arte nimia, ut ipsa quoque veritas Evangelij, cui illa superstructa est. Sapientia enim divina, qua nitebantur opera sacra, non indigebat artificii et subtilitatis scientiae humanae, quae ut semper levis et infirma, ita maxime hoc tempore sophistarum ac scholasticorum vix aliquid sani verique praestare potuit.

At vero quum opus esset subsidiis sapientiae humanae in defendenda veritate contra sophistas et sciolos, in coarguendis falsis opinionibus atque principiis adversariorum refellendis, nunquam deerant viri, ut magno ingenio, ita multiplici doctrina et summa eruditione, gravi sermone et eloquentia prope divina adornati, qui pugnabant contra inimicos Evangelij et devincebant eos propriis ipsorum telis. Atque hisce viris maxime florebant priora secula hujus periodi, quando, majoribus periculis religio-

ni christianae imminentibus, ecclesia, nondum firma, ejusmodi virorum magis indigebat, quorum auctoritate, sapientia et doctrina sublevaretur et sustentaretur. Ecclesia nostra, ut columnina fidei, ut lumina orbis terrarum veneratur sanctos viros, Basilium Magnum, Gregorium Theologum, Ioannem Chrysostomum, qui doctrina sua mundum illustrarunt, virtutibus suis ecclesiam adornarunt, quorum ipsa cognomina, ab aequalibus indita, et animi praestantiam et orationis vim ac gravitatem satis superque designant. Equidem haud scio, an nulla laus eorum eloquentiae magis conveniat, quam quae a Quintiliano Romanorum oratori eloquentissimo habita est. Nam hi quoque vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis effinxisse videntur. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecuti sunt tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipsis virtutes extulerunt immortalis ingenii beatissima ubertate. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? cui tanta unquam jucunditas affuit? Ipsa illa, quae extorquent, impetrare eos credas, et, quum transversum vi sua iudicem ferant, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus, quae dicunt, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat; quum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, et illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio prae se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito et ab hominibus aetatis suae regnare in animis dicebantur, et apud posteros pro summo eloquentiae ac sapientiae exemplo habentur. Nihil attinet nunc fusius dicere de aliis oratoribus et praeceptoribus ecclesiae, qui illos aut antecedeabant aut subsequebantur, quique in studio propagandae fidei ac virtutis confirmandae, in certaminibus contra sophistas et haeresiarchas atque omnino in veritate cognoscenda et stabilienda summum ingenium et multiplicem doctrinam ostenderunt. — Multi eruditissimorum virorum cultioris occidentis carmina poetarum christianorum atque reliqua eruditionis et doctrinae eorum monumenta plerumque sinistro iudicio prosequi solent. Qui quum ab orthodoxa fide orientalis ecclesiae defecissent, non tanti habuerunt etiam curas, lucubrationes operaque omnia, quibus patres et viri ecclesiae summi, divina ope adjuvi suoque ingenio ac sapientia ducti, sanctam fidem et animos fidentium tutari, sustentare et maturare contendebant. At nos certe, qui ab incunabulis usque ad diem supremum precibus, orationibus, adhortationibus atque auspiciis patrum

et illustrium virorum ecclesiae educamur, instituimur continuoque ducimur, qui et domi et in templis cantibus ac sermonibus eorum quotidie oblectamur, beneficia in operibus ipsorum et litterarum monumentis conseruata et in nos collata, debito studio et amore prosequimur ac semper prosequemur.

Jam vero religionis, quae pro fundamento nascentis imperii byzantini posita est, vis ac potentia paulatim crescens ita demum invaluit, ut in universam regni vitam penetrans, animos et mentes hominum occuparet atque ita fere omnibus eorum operibus litterariis religiosam quandam indolem communicaret. Cui quidem sensui religioso ac pio, litteris maxime explicando, praeter mirandam vim et efficaciam religionis christianae, ipsa quoque tempora et rerum conditio admodum favebant. Primum enim haec nova religio, cruci Sanctissimi Auctoris ejus superstructa et veteri deorum cultui contraria, quum permultis offensionibus ac molestiae fuisset, frequentissimas, ut supra monitum est, disputandi scribendique occasiones, tum philosophis ac sophistis, eam impugnantibus, tum viris christianis veritatem ejusdem defendentibus praebebat. Deinde hoc certamine, veritatis vi, cura patrum, laboribus et pietate imperatorum imminuto atque prorsus demum sublato, dissensiones et haereses, in ipsa ecclesia coortae, saepius quidem fidei arcana tangebant, at eaedem simul id efficiebant, ut verus Dei cultus ritusque sacri profundius perquirerentur et firmiter constituerentur; quae res sensui religioso fovendo et amplificando rursus novum alimentum et incitamentum suppeditabat. Tum vero ambitiosa pontificum romanorum principatus affectatio, ejusque ope modo discordiae in ecclesia factae, modo societas et unio non semel desideratae, et singulorum hominum mentes multum exercebant, et in regni ipsius viscera nonnunquam penetrabant; ut adeo cuncta fere animi vita summaque agendi ratio hoc tempore rebus religiosis et sacris plurimam partem insumpta fuisse videretur. — Denique hic animi pii sensus, in litterariis operibus hujus aetatis conspicuus, omnium maxime inde deducendus et explicandus est, quod litterarum cultura et eruditio, sicut etiam ipsa instituendi ratio, fere tota in potestate clericorum erat aut saltem ab illis pendeat. — Quibus rebus omnibus factum est, ut praeter innumera illa patrum et illus-

trium virorum opera, quae fidei dogmatis cognoscendis, ritibus sacris celebrandis atque omnino usui ecclesiae propiori destinata erant, in aliis etiam auctoribus compluribus eundem, aut huic similem tenorem religiosum maximam partem inveniamus. Hinc igitur prodit magna copia ejusmodi scripturum, in quibus morum praecepta, monita varia, vota pia et omnia, quae homini virtutem et vitae sapientiam suadere poterant, exposita sunt. Quin etiam reliqua opera litteraria, quoquo genere, consilio et argumento conscripta, saepius iudiciis communibus et sententiis moralibus, adagiis et veritatibus, nonnunquam e Sacra Scriptura petitis, completa sunt, atque ita plurima eorum tum argumento, tum ipso orationis colore religiosissime sapiunt. — Hinc quoque fiebat, ut viri antiquitatis studiosi, in veterum etiam auctorum operibus eorumque fabulis explicandis eodem principio ac sensu religioso et theologico uterentur. Haud parum laboris quidam in mythis antiquis aliisque allegoricis et symbolicis rebus religiosius explicandis, atque in placitis veterum philosophorum ac sapientum secundum christianae doctrinae principia dijudicandis insumperunt. Quae res imprimis neoplatonicae doctrinae deditos male habebat; id quod jam supra tetigimus. Haec religiosa et theologica doctrinae elementa ita demum invaluerunt, ut et philosophiam et fere cunctas doctrinas, ex eadem prognatas, suis rationibus plus minusve inseruire cogerent. Quem in finem praesertim Aristotelis dialectica eo consilio in scholis diligentissime tractata erat, ut ejus ope quaecunque argumenta theologica magis sublevarentur ac sustentarentur. Quae quidem studia et artificia, scholasticis doctoribus propria, quamquam praecipue in occidente apud clericos latinos vim suam maximam habebant, attamen byzantini quoque scriptores eodem tempore ab hac scholasticismi vi non plane liberi fuerunt.

Iam vero quae res, in praecedentibus a nobis allatae, ingenii vim et animi vigorem quodammodo constringere et inhibere nobis videbantur, eadem ipsae ad ea studia ineunda, quae diligentiae et sollertiae magis, quam altioris ingenii indigebant, omnium maxime conferre putandae sunt. Haec igitur studia operosiora vix ullo alio tempore tanta, quanta hac aetate byzantina fuerunt. Etenim quo magis propria

ingenii opera desiderabantur et, si qua exstiterant, quo magis eadem ab arte et dignitate antiquorum exemplarium graecorum recedebant, eo majore cum studio haec comparanda, pertractanda, divulganda asservandaque existimabantur. Deinde eruditionis ac litterarum studium, a quo Byzantini, temporibus nonnullis intermissis, minime alieni erant, et quod praeterea plurimam partem ex philologicis, archaeologicis et rhetoricis rationibus pendebat, eandem veterum scriptorum aestimationem et culturam facile suadere poterat. Tum vero, quod ad linguam ipsam attinet, ex quo ea, ut hoc clarius infra videbimus, in dies magis obsolescere atque a pristina sua integritate, venustate et dignitate degenerare coeperat, grammatici ejus temporis et alii viri docti, ut huic malo, pro viribus, mederentur, in genuina sermonis indole restituenda, in verborum ac dictionum vi et usu, e lingua antiqua eruendo et illustrando, summo studio versabantur; quod quidem studium ejusdem laboris operosi indolem habuit.—His demum operibus laboriosis clerici polissimum studium et lucubrationes suas impenderunt, qui, prout vulgum doctrina superabant, atque ignavia et desidia tempus terere nefas habebant, ea aetate fere soli ingenii ac litterarum veterum monumenta ab oblivione et temporis injuria vindicarunt eaque posteritatis in usum conservarunt.

Variae erant hujusmodi hominum litteratorum curae ad thesaurum graeci sermonis et veterum litterarum monumenta tutanda atque seculis insequentibus conservanda. Et primo quidem hisce clericis debemus quam plurimos veterum libros manuscriptos, quorum multi, praesertim seculo IX, X et XI scripti, et vetustate se commendant et praestantia sua excellunt. Inferiorem locum obtinent codices serioribus temporibus pia quidem et diligenti, sed indocta saepius manu scripti. Ex his igitur temporibus ingentem numerum librorum manuscriptorum habemus, qui patrum aliorumque ecclesiae virorum illustrium opera omnis generis continent. Praeterea auctores veterum classici (ἐγκύκλιοι), quo majorem quisque honorem habebat et quo frequentius legebatur, eo saepius, accuratius ac diligentius perscribebantur. Quapropter longe majorem huic aetati debemus copiam meliorum codicum, qui Homeri, Hesiodi, Pindari, Tragicorum trium clarissimorum, Aristophanis, Menandri, Theocriti, Herodoti, Thucydidis, imprimis vero Platonis et Aristotelis, ut etiam

oratorum illustrium opera continent. Nam praeter institutionem in fide ac religione, quae Sacrae Scripturae ope et patrum doctrina peragebatur, classici quoque scriptores non negligebantur, quippe qui insigni ingenio, humanitate, sermonis elegantia et arte sese commendantes, imprimis juventuti instituendae inservirent.

Deinde fuerunt nonnulli, qui ea, quae in antiquis operibus meliora et quoquo respectu utilia iudicabant, exciperent, colligerent et suo quodque ordine disponerent. Collectiones huiusmodi comprehendebant opuscula et excerpta ex diversis scriptoribus, quum profanis, tum sacris, atque vario nomine designabantur. His nempe temporibus anthologiae, de quibus supra diximus, eclogae s. excerpta ac sententiae variae, ex antiquis litterarum thesauris delectae, violaria et roseta diversi argumenti et pretii, chrestomatiæ, bibliothecae et quae his similia, summa cum diligentia et non sine eruditione instituebantur. Quae quidem excerpta ex diversis auctoribus saepit̃s ad verbum per istos compilatores exscribebantur, ommissa omni librorum atque auctorum ipsorum notitia aut censura, si Myriobiblon eruditissimi Photii exceperis. a) Quare, si quid pretii his compilationibus tribuendum est, illud in eo maxime consistit, quod multa fragmenta eorum scriptorum, quorum integris operibus caremus, ab illis conservata sunt.

Tertium genus idque copiosissimum est scholiastarum et commentatorum, qui otium suum antiquis scriptoribus explicandis et illustrandis impendebant. Hi igitur solebant recognoscere commentariisque suis instruere praestantissima quaeque opera, imprimis poëtica, rhetorica et philosophica, quae in scholis discipulis instituendis maximo usui erant, quum tamen propter antiquitatem suam et obscuritatem aliquam multum difficultatis legentibus exhiberent. Scholia ista exegetica et critica comprehendebant res admodum varias et mixtas, grammaticas, metricas, historicas, philosophicas et cet. Ceterum haec scholia recentiora multo inferiora sunt antiquis (παλαιός), quae grammaticis alexandrinis debemus, ideoque eo majorem auctoritatem habent, quo propius

a) Photius in suo Myriobiblo, quod et bibliotheca inscribitur, omnium auctorum a se lectorum, philologorum, oratorum, historicorum, philosophorum, medicorum, theologorum et cet. recensionem, censuram et excerpta fecit.

ad illa antiquiora accedunt, aut quo diligentius, quod nonnunquam fieri solebat, ex iis exscripta sunt.

His multo praeferenda sunt, quae maximam partem byzantinorum scriptorum laboribus confecta sunt, lexica, et quidem rursus non tam propter ingenium et eruditionem auctorum ipsorum, quam propter magnum thesaurum rerum ad litterarum graecarum historiam et doctrinam spectantium, quae in iis reconditae sunt. Vario consilio ac modo opera ista, ut ita dicam, daedalea, fabricabantur. Erant enim aut singulis vocabulis, aut integris dictionibus et sententiis colligendis, notandis, explicandisque destinata. Solebant nimirum homines, linguae et antiquitatis curiosissimi, etymologicas et synonymicas rationes vocabulorum respicere, varium significatum et usum eorum monstrare, atque fontes et causas hujus varietatis vocum dictionumque commemorare et explicare.—Ceterum distinguendum est inter lexica et glossas; in his vocabula insolentiora, rara et antiquata (γλωσσου), ope vocabulorum usitatorum (γλωσσήματα) explicantur, in illis autem cuncta vocabula atque integrae phrasae, ordine litterarum, uti nunc quoque fieri solet, deinceps exponuntur; quamquam negari non potest, utrumque genus apud lexicographos byzantinos mixtum etiam reperiri. In his lexicis conscribendis, auctores eorum praecipuam curam ac diligentiam ponebant in lectionibus atticis colligendis iisque ab aliis dialectis sejungendis atque cognitioni et usui communi commendandis, utpote quae omni tempore pro norma elegantioris sermonis graeci haberentur. Praeter has autem grammaticas et rhetoricas rationes, permultae aliae quoque res, ad mythologiam, historiam atque omnino antiquitatis doctrinam spectantes, in iisdem lexicis passim inveniuntur, quarum plurimae e scholiastis et grammaticis antiquioribus ac serioribus excerpta et compilata sunt.

Ultimo loco vel brevissimis verbis monendum est de scriptis grammaticis, sensu strictiore, quorum item magnum numerum ex iisdem temporibus possidemus. Haec opuscula grammatica, aut ad singulas grammaticas partes, aut ad totam ejus doctrinam ac methodum spectabant. Quo pertinent etiam varia scripta de prosodia et singulis metrorum generibus. Multa praeterea sunt opuscula de idiomatis et dialectis, praesertim attica, de barbarismis, soloecismis et quae his similia. Omnia haec scripta grammatica, quamquam sunt diversissima, tamen id commune habent, quod auctores eorum,

ingenii acumine et critica tractandi ratione minus valentes, potius rerum grammaticarum materiam conjungere, aut nuda earum schemata proponere, quam veram regularum rationem delineare solebant.

Labentibus demum litteris graecis, deficiente animi vigore et sensu pulchri, defatigataque et exhausta, ut ita dicam, ipsa cogitandi facultate, quod ultimis seculis in dies fit evidentiùs, etiam lingua ipsa, quae mentis alacritate et ingenii viribus alitur et exornatur, sensim depravari et pristinam suam vim, elegantiam, suavitatem et concinnitatem amittere coepit. Haec linguae graecae depravatio, quae inde ab XI seculo maxime invaluit, non solum in verborum radicibus eorumque usu barbaro, sed in compositione syntactica aliisque rationibus grammaticis, imo in ipsa pronuntiatione animadvertitur. Quod attinet ad copiam verborum eorumque indolem, permulta vocabula et integrae dictiones peregrinae, praesertim e semiticis atque aliis orientis linguis in graecam hoc tempore irruerunt. Quo majora ac frequentiora Byzantinorum cum populis orientis et occidentis commercia civilia, militaria et religiosa erant, eo facilius transitus peregrinarum vocum et barbarorum idiomatum in amplissimum antiquioris linguae graecae thesaurum fiebat. Ad haec incommoda linguae evitanda, aut saltem minuenda, grammatici ejus temporis certas regulas ac leges ei proprias ex antiquorum auctorum operibus et grammaticorum praecedentium studiis definire, genuinam sermonis graeci indolem restituere, imo etiam flores ac verner dialecti aetiae commendare studebant. At hi ipsi quoque, praeceptis suis nimium indulgentes, in alios errores, haud minore cum detrimento linguae, incidebant, totam scilicet dignitatem sermonis in exquisitiore ejus usu, in verborum sententiarumque ornatu, in cumulandis metaphoris et flosculis rhetoricis atque in tumida ac vana elegantiae affectatione quaerentes, quum tamen vulgaris populi sermo, crescente in dies verborum commixtione, barbaris saepius ingruentibus suamque dicendi rationem cum illa graeca permutantibus, magis magisque horresceret et perturbaretur. Hac itaque conditione, antiqua Graecorum lingua a pristina sua indole, integritate et castitate adeo degeneravit, ut etiam litterarum, praesertim diphthongorum, genuinam pronuntiationem prorsus amisisse videatur. Quae pronuntiationis depravatio etsi temporibus praecedentibus nititur, tamen his ultimis seculis ita inveteravit, ut nemini facile contingat tam felici esse,

ut genuinos sonos ab adulterinis distinguere verumque hac de re iudicium pronunciare queat. a)

Multo facilius erat a rationibus metricis quam longissime aberrare et contra quantitatis leges peccare. Hinc igitur factum est, ut poësis, si qua omnino Byzantinis sequioribus erat, imprimis a seculo XI, b) metrorum forma, quae inde ab antiquissimo tempore graecae linguae propria fuit, neglecta, plane aliam rhythmici rationem sequeretur. Quum enim tota antiquioris metri ratio syllabarum mensura s. quantitate niteretur, versificatores, de quibus nunc agimus, spreta justa syllabarum mensura, utcumque numero verba accommodare consuerunt. c) Huiusmodi versus, qui per multa secula hujus aetatis soli erant in usu, politici s. demotici nominabantur, ut qui et ad popularis sermonis rationem magis accederent, et per totum terrarum orbem maxime inualescerent. Quum autem, praeter numerum syllabarum, accentus quoque, imprimis in fine versuum, et terminationis confirmitas s. rhythmus, recentiore sensu, observaretur, eam ob causam versus isti etiam rhythmicis dicebantur. d) Habebant quidem versus politici leges quasdam simpliciores, sed non satis certas neque arte definitas. e) Talis igitur versuum structura, communi sermoni et barbaris gentibus magis propria, quum ad enarrandas rationes in vita quotidiana obvias, tum ad elementa doctrinae ac litterarum aliasque res, a vera poëseos indole alienissimas, facilius adhiberi poterat.

Sic igitur in dies crescens veteris linguae graecae depravatio, quum in radicibus verborum, tum in legibus grammaticis et metricis conspicua, capta demum Constantinopoli, quum barbaris undique sonis inficeretur, ad summum fastigium suum pervenit simulque recentiori sermoni graeco rudimenta posuit.

a) Conf. Hartung. Griechische Grammat. p. II, annot.

b) Conf. Friedrichsen. Ueber die sogenannten politischen Verse bei den Griechen; aus dem Dänisch. übersetzt. p. 41 sqq.

c) Herman. Elementa doct. metric. p. 487.

d) Conf. Bernhardy. Grundriss der griechischen Litteratur. p. 468.

e) Politici versus, ex quindecim syllabis constantes, atque tetrametri jambici catalectici speciem quodammodo referentes, caesuram post alteram dipodiam et accentum in autepeultima syllaba constantem habebant. Conf. Eustath. Commentar. ad Homer. Iliad. p. II. Friedrichsen l. l. p. 47.

Quaecumque tandem sunt haec eruditionis reique litterariae monumenta, a byzantinis scriptoribus nobis relicta, tantum abest, ut negligi oblivionique dari possint, ut multas ob causas eadem nobis alacri studio consideranda discendaque sint. Et primo quidem propterea, quod multa in iis opera sane bona et arte conspicua, praesertim prioribus hujus aetatis seculis reperiuntur. Deinde haec litterarum graecarum regio, jam per se satis ampla memoriae digna, totius litterarum graecarum doctrinae haud exigua partem constituit, et tam arcte cum ea cohaeret, ut illa sine hac neque integram ac solidam doctrinam efficere, neque adeo, prout par est, intelligi possit. Tum vero, praeter multa excerpta et fragmenta ex operibus veterum auctorum deperditis, quorum, ut supra diximus, nullam omnino cognitionem haberemus, nisi a byzantinis scriptoribus nobis asservata essent, innumeras alias res ad antiquae Graeciae cultum habitumque pertinentes, ut fabulas ac traditiones mythicas, cognitiones historicas et geographicas, explicationes veterum auctorum, praesertim poetarum et philosophorum, praecepta ad linguae leges et usum spectantia, et alia permulta in studiis et curis eruditorum virorum hujus aetatis deprehendimus. In tota enim antiquitate vix ulla res memoratu digna inveniebatur, quam non byzantini scriptores aut claris verbis exponerent, aut imitatione exprimerent, aut alio quodam modo adumbrarent. — Porro, quum quae homines senserint et cogitaverint, ea omnia loci et temporis, quo singuli versabantur, vitae eorum privatae et publicae nec non conditionis populi totius, ad quem pertinebant, certa indicia prodant, byzantinorum quoque scriptorum opera litteraria omnino pro speculo, veras imagines vitae agendique rationis illorum temporum exhibente, jure haberi debent. Quare, praeter ipsarum litterarum usum, opera ista, historiae atque philosophiae ratione habita, sedulo considerare et discere debemus. — Praeterea, quum plerumque fieri soleat, ut status populi labentis, enervatis aut compressis animi viribus et deficientibus ingenii ac litterarum monumentis, similiter in tenebris lateat atque ipsa ejus incunabula, Graecorum gens, per omnes vitae stadia, ratione libera, sibi propria atque naturae convenienti progressa, et originis suae vestigia antiquissima, et decrepitae aetatis testimonia extrema, litteris consignata, reliquit. Itaque quo imperfectiora et rariora apud reliquos populos, Graecis exceptis, haec vitae ipsorum supremae testi-

monia invenimus, eo majore studio et veneratione omnia monumenta, quae ultimam eorum memoriam testantur, colenda sunt. — Sic igitur Graeci, et litterarum et historiae ratione habita, verissime pro gente classica censentur, atque doctrinae solidiori commendantur, quippe qui soli fere ab initio usque ad finem vitae suae naturali ac necessaria ratione progressi, omnes ejus aetates, propriis documentis litterariis illustratas et significatas, confecerint. — Jam vero byzantinorum scriptorum cura insignior vel propterea habenda esse videtur, quod ii nondum tanta diligentia et alacritate lecti et explicati sunt, quanta reliqui Graecorum antiquiorum auctores; id quod statim ab initio monuimus. — Denique studia doctrinae et litterarum hujus aetatis, ut ultima totius litterarum graecarum orbis monumenta erant, ita simul initia et prima fundamenta litteris humanitatis restaurandis exstiterunt. Nam post longam barbariae caliginem atque gravem scholasticorum soporem, quum primum vires mentis humanae recreari atque litterae et artes in occidente renasci coeperunt, docti viri graeci simul cum quibusdam eruditioribus Italiae principibus ab ipsis incunabulis earum curam ac tutelam susceperunt. Graecorum enim nonnulli, doctrina et eruditione insignes, imprimis ab initio seculi XIV, diverso tempore et consilio, Italiae regiones saepius peragrantes, et regibus, principibus aliisque viris illustribus ac sapientibus hujus terrae litterarum amorem et humanitatis laudem commendantes, bonarum artium et studiorum liberalium jam tum auctores, suasores adjutoresque gravissimi exstiterunt. Constantinopoli autem a Turcis, an. 1453, expugnata, Graeci eruditi, patria sua profugi atque in occidentis regionibus, praesertim in Italia, liberaliori hospitio excepti, ubique eruditionis suae copiam et doctae antiquitatis thesauros disseminarunt. Ab hoc inde tempore studia litterarum graecarum, doctrinis et artibus renatis, semper pro firmissimo fundamento et maximo adjumento eruditionis ac litterarum habita sunt et in posterum habebuntur. — Quapropter byzantinae eruditionis monumenta, non solum ut supplementum necessarium totius litterarum graecarum doctrinae, sed etiam ut proxima initia recentiorum doctrinarum et artium spectari et pro dignitate sua tractari debent.

Jam vero, quod in hac parte extremum ac summum esse censeo, nobis, Viri Humanissimi, nobis byzantina haec monumenta litteraria studio

praecipuo non immerito colenda sunt, nec tam propter rationes litterarum et humanitatis communes, quam potissimum propter patriae nostrae usus peculiares. Etenim majores nostri ab ipsa origine nominis slavici et regni Russorum cum byzantino imperio atque Graecis, modo belli tempore, modo in pace commercia mutua habuere. Quae quidem commercia cum populo, reliquis gentibus etiam tunc temporis longe eruditore, in victum cultumque patriae nostrae vim maximam non poterant non exercere. Et quidem, praeter manifesta quaedam vestigia vocum ac dictionum complurium, quae cum graeco sermone evidentem similitudinem habent, quaeque alioquin etiam ex cognatione linguarum communi quodammodo explicari possunt, hinc sane nonnullae consuetudines majoribus nostris atque Graecis communes, mores quidam antiquiores, instituta ac vitae praecepta varia, quae postea in regionibus nostris obtinuerunt, hinc originem suam ducere atque facile explicari posse videntur.—Omnium vero gravissimum hoc est, quod ab ecclesia Graecorum orientali, in qua divina doctrina Domini nostri Jesu Christi et Sanctorum Apostolorum tota sua castitate et integritate conservata erat, lumen religionis christianae nobis accensum ac traditum est; id quod non solum ad aeternas veritates Evangelii atque praecepta vitae bene moratae cognoscenda animisque imprimenda, sed omnino ad cultum et eruditionem per omnes patriae nostrae regiones disseminandum et conservandum mirum quantum contulit. Cui quidem rei maxime profuit, quod simul cum religione christiana, permulti viri graeci, praesertim clerici eruditi, a Principibus nostris invitati, ad doctrinam Sacrae Scripturae tironibus exponendam, ad ordinem ritusque ecclesiae constituendos et ad novitios confessores J. Christi instituendos et tutandos venerunt. Haec autem omnia cum animi cultu et eruditione communi tam arcte cohaerent, ut disjuncta ne cogitari quidem possint. — Ab his itaque initiis eruditio ac litterarum cultus in patria nostra proficiscens, in omnibus operibus antiquis manifesta graecae institutionis et linguae vestigia reliquit. a) Nam quousque mens nostra spatium prae-

a) Operae pretium certe esset, haec vestigia linguae et idiomatum, eruditionis atque ingenii Graecorum in monumentis litterarum nostrarum antiquis conspicua clarius monstrare; sed hanc rem gravissimam, quam hujus diei non esse judicamus, in aliud tempus tractandam distulimus.

teriti temporis respicere et pueritiam patriae nostrae ultimam recordari potest, inde repetentes, hos Graecos semper nobis adfuisse, lumine divinae religionis patriam nostram illustrasse, perpetuos ejus cultores, praeceptores, scriptores atque omnino eruditionis ac litterarum auctores principes ac fere unicos antiquitus fuisse videmus. Qui quum tantam vim in nostram eruditionem et vitam habuerint, opera quoque ac litterarum monumenta, temporis et rationi eorum propria, nostrae attentioni atque curae maxime commendanda sunt.

De hac re jam pridem viris doctis persuasum fuit. Nam praeter peregrinos doctos, qui litteris graecis atque historiae byzantinae et alibi et in patria nostra operam dederunt, nos quoque inter nostrates viros eruditos habemus, qui jam diu studia hujus partis litterarum graecarum faustis auspiciis inierunt. Habemus clericos doctissimos, qui opera Sanctorum Patrum in usum ecclesiae et christianorum edenda, ex graeco in patrium sermonem convertenda et interpretanda, insigni cura, frugalitate ac pietate susceperunt. Habemus nonnullos rerum patriae scriptores, doctrinae et veritatis amantissimos, qui historicos et chronographos byzantinos, praesertim eos, qui de rebus patriae nostrae diligentius disputant, sedulo perscrutati sunt. Philologi porro et litteris patriis dediti, ut linguae slavicae idiomata et priscarum litterarum indolem rectius cognoscerent ac dijudicarent, haud mediocrem operam linguae et rei litterariae Graecorum hujus aetatis byzantinae imprimis navare solent. Nostrum igitur, Commilitones lectissimi, nostrum est, eorum vestigia persequi atque, pro nostris rationibus, optimos scriptores byzantinos, praesertim oratores christianos et historicos praestantiores colere, eosque non solum ex ambitu scholarum interpretationumque academicarum non excludere, sed, propter causas, quas supra exposuimus, praecipua cura et diligentia prosequi, ut sic doctrina nostra, cum historia, religione et cultu patriae nostrae conjuncta, veris, probis atque omnino firmissimis fundamentis innitatur.

Quodsi ad opportunitates universae rei litterariae et praesertim patriae nostrae exercendi spectamus, divinae sane providentiae debemus, quod tam insigni beneficio ac munificentia Augustissimi et Potentissimi IMPERATORIS nostri perpetuo laetamur, quo feliciter regnante litterae et artes tantos progressus fecerint tantamque aestimationem ac laudem obti-

nuerint. EJUS voluntate et auctoritate summa scholae ubique frequentes institutae et collegia litteraria optimis subsidiis instructa sunt; EJUS liberalitati litterae et artes maxima decora et ornamenta sua debent; EJUS potentia ac sapientia fit, ut pace et otio studiis necessario, per longam annorum seriem continuo fruamur; EJUS denique prudentiae ac sagacitati maxime tribuendum est, quod VIROS etiam, quos ILLE fiducia SUA imprimis dignos judicatos propius SIBI ad consilia SUA exsequenda, ad nostras quoque res administrandas, curandas et amplificandas adesse voluit, humanitatis eruditionis ac litterarum amantissimos studiosissimosque semper habemus.

Quae quidem cuncta divina bona, ut quam maxime diuturna et constantia sint, Deum Optimum Maximum, omnium bonorum, quibus genus humanum laetatur, Auctorem benignissimum, pio animo et candido pectore rogemus, conservet Magnum IMPERATOREM atque Dominum nostrum, populi ac regni SUI amplissimi defensorem, cum tota CAESAREA Domo, nobisque et universae Russiae praestet perpetuum salutis et cunctae felicitatis tutorem et conservatorem.

